Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



xmo dies festus iudeorum sexto phera. Dixerunt autem ad eum fratres eius. Transi hinc et uade in iudeam: ut et discipuli tui uideant opera tua quae facis. Nemo quippe in occulto quid facit: et quaerit ipse in palam esse. Si haec facis: manifestas te ipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dixit ergo eis iesus. Tempus meum nondum aduenit: tempus autem uestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse uos: me autem odit. quia ego testimonium perhibeo de illo quia opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc: ego non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. Haec cum dixisset: ipse mansit in galilea. Vt autem ascenderunt fratres eius. tunc et ipse ascendit ad diem festum: non manifeste sed quasi in occulto. Iudei ergo quaerebant eum in die festo: et dicebant. Vbi est ille? Et murmur multus de eo erat in turbis. Quidam enim dicebant quia bonus est: alii autem dicebant non: sed seducis turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo. propter metum iudeorum. Feria iiii. Leuitici.

Locutus est dominus ad moysen dicens. Ego dominus deus uester: non facietis furtum: non mentiemini: neque decipiet unusquisque proximum suum. Non periurabis in nomine meo: nec pollues nomen dei tui. Ego dominus. Non facies calumniam proximo tuo: nec inprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. Non maledicies surdo: nec coram caeco pones offendiculum: sed timebis dominum deum tuum. quia ego sum dominus. Non facies quod iniquum est: nec iniuste iudicabis: non consideres personam pauperis: nec honores. nec uultum potentis. Iuste iudica proximo tuo. Non eris detractator: nec susurro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego dominus. Non odieris fratrem tuum in corde tuo: sed publice argue eum: ne habeas super illo peccatum. Non queres ulcisci: nec memor eris iniuriae ciuium tuorum. Diliges amicum tuum sicut te ipsum. Ego dominus. leges meas custodite. Ego enim sum dominus deus uester. Sp. Iohn.

Illo tempore. Facta sunt encenia in hierosolimis: et hiems erat. Et ambulabat iesus in templo: in porticu salomonis. Circumdederunt ergo eum iudei: et dicebant ei. Quousque animam nostram tollis? Si tu es